

donec ostendatur fortè contrarium. Posterius in die
est, si dextrè modò de Imperio nostro Romano judica-
mus. Obtortò, quod fateor, collò manum quæstioni,
cum Limn. de jut. publ. lib. i. cap. i.o. sabbathinam vocet
admoveo, & magis, quod Viros magni nominis ab u-
traque parte stantes videam: ne tamen mihi exprobari
patiar, quasi nescius, an in rerum natura adhuc sit, plurā
cumulārim, Monarchia, periculum in evolvendis argu-
mentis faciendum est.

Theſ. 2.

Imperium nostrum Germanicum, quin de Græcis
Francis & primis aliis Imperatoribus Monarchicè fuerit
tractatum, nemo est qui dubitat, quei verò postmodum
potestatis aliquid transmigrarit in Principes cum Chari-
on. & Philipp. in Chron. Delium exoptamus natatorem.
Dum, enim, in prima Electorum origine cæcutimus,
quis quo iustro Monarchia temperari ceperit, Oedi-
pus augurabitur? Fastigium Συντήματος in eo non est,
sed vestigium tantum, quod ab Ottone M. statutum
ac Ottone III. repetitum novimus, nempe in Imperato-
rem, nisi ex germano germine oriundum eligendum,
neminem esse, ex quo, nonnulli, quos inter Rudol-
phus de Columna de translat. Imper. & Simon. Schra-
der. lib. sing. de Elect. origin. cap. i. evincere, quamvis
perperam, conantur, sub Ottone III. hoc factum fuisse
quibus verò strenuè contradicit, quod omnes ferè Impe-
ratores, post Ottонem III. rebus potitis, tum ab universis
Imperi Principibus Ecclesiasticis & Politicis, quorum
numerus quinquagenarium teste Bodin. lib. 6. de Rep. c. 5.
superarit, tum à quibusdam populis Saxonibus sc. & Sve-
vis, Bavaris aliisque electos inveniamus. Alii ad Bar-
barosam, alii ad Radolphum recurrent, quorum tamen
ultimi vel ex eo refutantur, quod Antecessori hujus Wil-
helmo Hollandie Comiti Imperium ab Electoribus assi-
gnatum legamus.

Theſ.